Quiatkowius M
Libellus

1872 IV. 101

Kwiatkowski

1577

LIBELLVS SIVE PRAEFATIO IN SERENISSIMAM, AC PER VNIVERSVM ORBEM TERRARVM CElebérrimam, ex Diuo Gedemino magno Duce Lituaniæ descendentem, Iagellonissam natiuam Genealogiam.

Certo tempore natiuitatum, incrementorum, connubiorum, successionum, præstantiorum rerum gestarum, uicissitudinum, successuum, obituum, ac sepulturarum compendiose illustratam. Atq; diadematibus imperialibus, tiaris cæsareis, coronis regalibus, mitris cardinalitijs, infulis archi & episcopalibus, pileis electoralibus, Magni ducatus Lituaniæ, & Moscouiæ insignitam ac decoratam.

MARTINI QVIATKOVII DE Rozice, à proauo legitimi regij Thesaurariadis.

Sapientiæ 13.

Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei.

Iuxta illud distichon.

Est sat si Christo studeas cum cætera nescis.
Illius ignarus omnia uana scies.

REGIOMONTI
1577.



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO D. STEPHANO PRIMO, DEI GRATIA MONAR-

chæ & Regi Poloniæ, Galitiæ, ac Lodomiriæ,

Magno duci Lituaniæ, Russiæ, totius Prussiæ, Masouiæ, Samagitiæ, Kiouiæ, Podoliæ, Podlachiæ, Pomeraniæ, Cassubiæ, Liuoniæ, &c. Principi hæreditario Transyluaniæ, Comitiq; Scythulorum, &c. Domino suo longe clementissimo ac mecœnati benignissimo, Salutem animi ac corporis diutissimam ac fœlicissimam, firmamq;, omnino necessariam, & salutarem cum omnibus pijs christiani orbis principibus concordiam, à Deo Optimo Maximo ex intimis cordis (attestante scrutatore cordium) precatur.

SERENISSIME REX, ac Domine longe clementissime. Quũ te ab ipso principio orbis terrarum ad hoc sacrum Poloniæ tribunal, ex eadem gente diuinitus prædestinatum, Deut. 17.
& iam solenni ritu in illud euectum, legitimeq; Iosue 1.
constitutum esse: inter cæteros beatos uiros etiam sapientissimus rex Salomon, sanctus Petrus, ac diuus Paulus his expressis uerbis pro certo affir-

Prouerb. 8. Danielis 2. ment. Per me Reges regnant, & legum condito=
res iuſta decernunt, per me Principes imperant,
1. Petri 2. & potentes decernunt iuſtitiam. Subiecti igitur
eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue
Regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab
eo miſsis, ad uindictam malefactorum laudem uero
Paulus ad Titum 3. bonorum. Admone illos principibus & poteſta=
Rom. 13. tibus ſubditos eſſe, dicto obedire. Non eſt enim
poteſtas niſi à Deo, & qui huic quibuscunq; re=
bellionibus, ſeditionibus, factionibus, uel aliquo
minimo uerbo, imo & praua cogitatione reſiſtunt.
Eamq; tributis cœlitus conceſſis contra illud di=
Rom. 13. uinum oraculum: Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris
Lucæ 20. Marci 12. iniq; defraudant, diuinitusq; elargitum ſacrum ho=
norem eius, contra illud ſeuerum decretum altiſ=
1. Petri 2. ſimi: Deum timete, regem honorificate impudicè
palam aut clanculum, proſcindunt, profanant, ob=
latrant, uenenoſis caninis dentibus mordent, ac
pernitioſè furantur, eaq; ratione ſimplicem & in=
nocentem populum impie turbant, exicialiter infi=
ciunt, peruerſè ſeducunt, & lethaliter contra il=
Matt. 18. lam tremendam Dei ſententiam, Væ homini illi

per quem ſcandalum uenit ſcandaliſant: talibus
Deo reſiſtentibus deſperatis ac Reipublicæ pe= Rom. 13.
ſtiferis ardelionibus, niſi protinus iuxta illud.
Nolo mortem peccatoris, ſed conuertatur & ui= Ezech. 18.
uat ex animo reſipuerint, hic ingentes animi & Rom. 2.
corporis pœnas (quales Abſolon. Ac hi pſeudo= 2. Reg. 8.
reges Georgius Sechelius, Siſka, et Ioannes Lei= Iouius lib. 13
denſis, erroneusq; Propheta Thomas Munſterus, Ioannes Thworcz.
cum seducta numeroſiſsima ruſticitate abunde ex= Sleid. li. 10. Idem lib. 3.
perti ſunt) ac in futuro æuiternæ condemnationis 4. & 5.
extremas calamitates, atq; perpetuas infernales
afflictiones ſerio prædictus Diuus Paulus mina=
tur. Sic enim inſtinctu ſpiritus altiſsimi conciona=
tur. Oportet omni poteſtati obedire, non ſolum Rom. 13.
propter iram, id eſt, corporales pœnas, ſed etiam
propter conſcientiam, hoc eſt. perpetuam conde=
mnationem. Epiſcoporum autem Chriſtianorum
& omnis pij illorum cleri, munus principale eſt, aſ=
ſiduo Eccleſias diuinitus illis concreditas, de ti=
more Dei, ac aduerſus ſupremum magiſtratum
debita obedientia & conuenienti reuerentia ad=
monere, ac ſerio illis eam inculcare, inobedientesq;

tanquam morbidas oues ex cœtu proborum eicere,
Esdræ lib. I. cap. 6. uel saltem à cœna Domini arcere. Ex animoq;
pro fœlici & diuturna uita regum atq; ducum suo=
rum, cum uniuersa pia Synagoga sua semper orare,
Diuino ac humano iure omnino tenentur. Ne for=
te ob ingratitudinem piorum magistratuum, ty=
Oseæ 13. rannos nobis Deus in furore suo constituat, ac nos
extrema temporali & æterna calamitate afficiat.
I. Petri 2. Idcirco quicunq; sanctæ imo & discolæ potestati
restiterit, uel saltem ei tanquam charissimæ ar=
chiparenti maledixerit, is à pio inferiori quouis
magistratu, absq; ulla nociua simulatione grauiter
puniri debet. Ne alioquin ipse solus, eorum impio=
rum scelerum & contagiosorum facinorum parti=
ceps (contra ius diuinum ac humanũ) esse iuridice
conuincatur, & ideo simul cum illis ac non imme=
rito, in seueram uindictam diuinam, ac iustæ supre=
Regula iuris. mæ potestatis incidat. Siquidem, facientes, uolen=
tes, consentientes, atq; maleficio conniuentes, ea=
Rom. 13. dem pœna puniuntur. Non enim frustra gla=
dium gestat. Siquidem Dei minister est, ul=
tor ad iram ei, qui quod malum est fecerit.

Dictum

Dictum est enim. Dijs non detrahes, & principi Exodi 22. Acto. 23.
populi tui non maledices. Nam qui patri uel ma= Exodi 21.
tri suæ maledixerit, morte moriatur. Econ= Leuit. 20. Prouer. 20.
tra qui magistratum & parentes suos ex corde Decalogo 4.
amauerint atq; eos ex animo honorauerint, ijs lon= Deute. 5. Ad Eph. 6.
gæua ac benedicta uita diuinitus promittitur.
Et Dauid Rex hanc potestatem sanctissimum
diuinum numen appellat. Inquiens. Ego dixi, Dij Psalm. 81.
estis & filij excelsi omnes. Ideo ego quoq; uirtu=
tis amore, omnibus modis hanc nociuis & perni=
tiosis uenenis infectam pestem, ac illius exitio=
sam subitaneam cladem ex animo semper subter=
fugiens, Laudabili Nobilium ac Generosorum le=
gitimorumq; prædecessorum meorum, uidelicet,
Bartosij Blonski de Rozice proaui, ac Diui
antecessoris tui Casimiri 3. thesaurarij. Mar=
tini thesaurariadis aui, Alberti parentis, & Io=
annis Luthomirski patrui, ac Castellani Sira=
diensis, grauis senatoris ac prudentis consiliarij
totius sacri regni tui Poloniæ, Diui Sigismun=
di Augusti thesaurarij, Capitanei Lancicien=
sis & Radomensis, tenutarij Vartensis, atq;

Burggra=

Burggrauij Cracouienſis exemplo: cunctas ab in=
eunte ætate honeſtas actiones ac improbo labore
plenas exercitationes meas (ſecundū illud: Mul=
Iuuenalis. ta tulit fecitq; puer, ſudauit & alſit. Abſtinuit
Venere & Bacho, quæ Pithia cantat. Item:
Non iacet in molli ueneranda ſcientia lecto. Ipſa
ſed aßiduo parta labore uenit) eo ſemper dirige=
bam, ac ſedulo in hunc finem omnem honorificam &
ſumptuoſam in peregrinis ſtudijs educationem me=
am inſtituebam, ut aliquando Deo ſuggerente Ec=
cleſiæ eiuſdem piè inſeruire, ac dulciſsimæ patriæ
longe colendiſsimo principi, eiusq; Reipublicæ
cōmodè gratificari (uti æquum ac iuſtum eſt) poſ=
ſim. Itaq; poſt ſubmiſſam dedicationem quondam
Diuo anteceſſori, ac proximo affini tuo Sigis=
mundo Auguſto, & optimo affinitateq; tibi deuin=
ctiſsimo principi, alberto Friderico duci in Pruſ=
ſia, cæterisq; ſacri regni tui hæroibus quorundam
libellorum, atq; poſt diligentem confectionem iſto=
rum, ſcilicet. De uera ciuili Nobilitate. De libe=
ra & legitima regali electione, cum quadam ta=
bula methodica. Chronicorum compendioſorum
totius

totius Prußiæ. Diui Maximiliani 2. & Roma=
norum Inperatoris Germani 41. ſuæq; C: Mai:
ſereniſsimorum fratrum ac ſororum triginta duo=
rum ſtemmatum. Totidemq; ſereniſsimarum &
longè pientiſsimarum reginarum, Annæ Poloniæ
ac tuæ dilectiſsimæ coniugis. Catherinæq; Sue=
tiæ. Ac eiuſdem numeri, Illuſtriſsimæ pudiciſsi=
mæq; Mariæ Leonoræ principis in Prußia, ſu=
æq; Celſitudinis optimæ indolis atq; ſpei fratris
& chariſsimarum ſororum, ac tuarum dilectiſsi=
marum propinquarum affinium: Diuorum quoq;
anteceſſorum & eorundem proximorum affinium
tuorum regum Poloniæ, ueram à Diuo Gedemino
Magno duce Lituaniæ deſcendentem genealogi=
am, hiſce diebus in benignam gratiam tuam accura=
te conſcripſi, in natiuam ſeriem graduum cōſangui=
nitatis & affinitatis diligenter congeßi. Eius=
demq; certum tempus natiuitatum, incrementorū,
connubiorum, ſucceßionum, rerum præſtantiorum
geſtarum, uiciſsitudinum, ſucceſſuum, obituum, ſe=
pulturarum, ac loca ſepulchrorum, quoad breuius,
ac compendioſius potui annotaui. Et ei pro cuiusq;

principis

principis decenti eminentia ac excelsa dignitate,
insignia praestantissima, scilicet, diademata impe=
ratoria, coronas regales, mitras cardinalitias, in=
fulas archi & episcopales, pileos electorales, ma=
gni ducatus Lituaniae, ac Moscouiae, tiarasq;
caesarum Turcicorum conuenienter applicaui, in
regiumq; honorem tuum pauperi sumptu meo pro=
mulgaui. Siquidem non solum praedictorum diuo=
rum regum Poloniae, legitimus successor diuinitus
effectus, sed etiam in serenissimum, ac per uni=
uersum orbem terrarum celeberrimum sangui=
nem eorum, tanquam amoenissime & fructiferae
uineae pulcherrime insertus, atq; aptissimus istius
sacrae genealogiae particeps factus es, Quae sere=
nissimae affinitatis cognatio, eiusdemq; etiam na=
tura duce firmissimum mutuum uinculum, pro=
fecto quibusuis maximis rebus longe praeferen=
dum, fidelissime utrinq; exosculandum, atq; assi=
duo inuicem diligentissime fouendum est. Si=
quidem istiusmodi principum amicabili concor=
dia, christianas res apprime accrescere, egre=
gie promoueri, ac maxime firmari, non absq; sin=
gulari

gulari consolationis nostrae commodo, indies expe=
rimur. Iuxta illud. Concordia paruae res cre= Salustius.
scunt. Discordia maxime dilabuntur. Concor=
dia fulciuntur opes etiam exiguae. Nam, Coniun=
cti pollent etiam uehementer inertes. Haec con= Solon in Plutarcho Adagiorũ p. 894
cordia iuxta Solonem & Plutarchum, aequitate
continetur ac conseruatur. Nam concordes ma= Socrates in Axiocho Platonis.
nus mutuo officio lotionis funguntur. Et Seneca
dicit. Vrbs seruat urbem, seruat itidem uir ui= Seneca in Ludi: libello, de morte Claudij Caesaris.
rum, manus manum, digitumq; digitus abluit.
Ac Sophocles inquit. Gratiam adfert gratia, Sophocles in Oedipo Coloneo.
Et beneficium parit beneficium. Atq; Hesio=
dus profert. Aequum ut ametur amans. Euri= Hesiodus in primo Geor.
pides etiam ita ait. Beneficium beneficio re= Euripides in Helena.
spondeat. Quibus sapientissimis apophthegma=
tibus manifeste demonstratur. Concordiam fun=
damentum, incrementum, ac fastigium esse omni=
um pacificarum diuitiarum, florentissimarumq;
monarchiarum. Beneficiumq; inuitari beneficio,
& officium officio comparari. Iuxta illud: Obse= Terentius.
quium amicos ueritas odium parit. Ita contra,
B 2 Contem=

Contemptum rependi contemptu. Maleficiumq́ᵹ maleficio recompensari, non absq́ᵹ potentissimorum regnorum exitio ac fortissimorum imperiorum extremo excidio, in dies experimur. Sed redeundo unde aliquantulum digressus sum. Hanc igitur paulo superius nominatam genealogiam tibi legitimo Diuorum regum Poloniæ successori, ac longè dignissimo propinquo affini, non immerito inter cæteros ad hanc pertinentes principes uiros, ac tuos dilectissimos affines submisse offere & dedicare, eminentiq́ᵹ regali patrocinio tuo committere omnino decreui, humilime te rex optime petens, ut hoc exiguum imbecillis eruditionis meæ chartaceum munusculum, sereno regali uultu suscipere, ac me Deo attestante fidelem subditum, in cathalogum deuinctorum famulorum tuorum more Diui Sigismundi Augusti benignè inserere, ac humilia hæc officia mea clementer amplecti non dedigneris. Memor illorum grauium & pulcherrimam grattitudinem resonantium uersiculorum. Exiguum munus cùm dat tibi pauper amicus: Accipito placidè plene & laudare memento.

Cato.

Ab in-

Ab inuidorumq́ᵹ, calumniantium, & turpissimorum sciolorum atq́ᵹ leuissimorum ardelionum contagiosis morsibus sacra tua authoritate, regaliq́ᵹ tremendo sceptro paterne protegere uelis, qui in eo se doctissimos atq́ᵹ prudẽtissimos esse arbitrantur, quum per iniquas & seuera animaduersione dignas cauillationes eruditæ uirtuti detrahere, eiusq́ᵹ optimam innocentiam caninis uenenosis dentibus impudentissimè proscindere, rabidissimeq́ᵹ inficiari audeant. Quodsi autem hæc crassa Minerua mea, excultæ ac maturæ experientiæ, grauissimoq́ᵹ iuditio tuo aliquantulum quod Iehoua largiatur arriserit, & cæteris candidis lectoribus aliquid fructus pepererit, optime mecum ex gratia diuina agi putabo, quòd finem solicitè exoptatum utcunq́ᵹ assecutus fuerim, atq́ᵹ præfixum scopum paulullum attigerim. Sin uerò minus, tamen neq́ᵹ me ea ratione fidelem operam meam penitus elusisse existimabo, ut pote, qui bonam uoluntatem meam, quæ etiam à pijs quibusuis monarchis non solùm temere reprehendi, uerùm potiùs ob incitamenta uirtutum clementer collaudari, ac

dari, ac liberaliter remunerari soleat, pro maiore posse meo declarauerim, atq; doctioribus ista melius & exactius perficiendi optimam ansam præbuerim. Errori autem, qui etiam in maximis uiris deprehendi sæpius soleat, si aliquis hic meo uel typographi inscio uitio delituerit, tanto facilius quisq; bonus uir ueniam dabit, quum constanter apud se constituerit, me illi non patrocinari, sed potius eum libentissime corrigere uelle. Tibi quoq; inter cætera Rex serenissime certo persuadeas, te propter tuum pene diuinum ingenium, solidam eruditionem, maturam plurimarum bellicarum ac pacis rerum industriam, & experientiam, solideq; perfectam scientiam, atq; ex ea pulcherrime emanantem suauissimam ac sapientissimam eloquentiam, admirandasq; & has cardinales partes, eximiæ uirtutis, scilicet, Prudentiam, fortitudinem, temperantiam, ac iustitiam, fere uniuerso diuinorum munerum grato christiano orbi, & præsertim tuæ Sarmaticæ gloriosissimæ ac uetustissimæ gentis, cunctis Slauonicis nationibus, nempe, Pannonijs, Breucis, Audize=

tijs, Di=

tijs, Dicionibus, Piruscis, Mazæis, & Desiciatis, quorum omnium Diuus Bannor siue Battor, Bannonis pronepotis Sem & fundatoris regisq; Pannoniæ ultra trinepos, & tuus maximus paternus triauus, belicosissimus hæreditarius monarcha circa natiuitatem Christi fuit: Et iam tuis fidelibus ac dilectis subditis, Polonis, Galiciensibus, Lodomerijs, Lituanis, Ruthenis, Prutenis, Masouijs, Samagitis, Kiouiensibus, Podolijs, Podlachijs, Pomeranis, Cassubijs, Liuoniensibus, Transyluanis, Siculis. Olim etiam ad hoc regnum tuum & nationem, fraternamq; libertatem Polonicã pertinentibus, Danis, Sorabis, Rugijs, Holsacijs, Lusatijs, Brandeburgensibus, Megapolitanis, Vindelicis, Morauis, Silesijs, Seueriensibus, Naugardensibus, Criuitijs uel Smolenscijs, Polocensibus, Maideburgensibus, Dalemburgensibus, Vismariensibus, Bremensibus, Luneburgẽsibus, Lubecẽsibus, Bachiboriensibus, Suerinẽsibus, Rostochiensibus, Verlanis, Suanouanis, Ostrouijs, Cessinensibus, Marlouanis, Bolelunis, Trebessouijs, Vologussis, Ciasniensibus,

Berosus ac eius commentator Ioannes Annius Viterbensis pag: 15. & 32. Plinius lib. 3. cap. 22. & lib. 4. ca. 10. & 33. Strabo lib. 7 Stephanus. atq; Antonius Bonfinius, p. 6. 22. ac 541.

Saxo in Dania lib. 8. Crantius in Vandalia. Martinus Cromerus p. 26. 35. & 36.

Volyne=

De Iugaris uide Sigis: Baronem p. 85.

*Volynesis, Vinetis, & Iulinis. Præterea Boe-
mis, Moscis siue Rußis, & eorum stirpi Iuga-
ris, Hungaris & Auaribus, Mœsijs, Bulga-
ris, Bosnensibus siue Ramis, Mysijs, Illyrijs,
Dalmatis, Paphlagonibus, Henedis uel Hene-
tis, ac illorum propagini literis pro diuersitate lo-
corum mutatis & nominibus aliquantulum defle-
xis Venetis, Vindelicis, Venedis, Vindis, Ven-
dis, Vinedis, Vandalis, Findis siue Findalis, Li-
burnis uel Croatis, Serbis, Cumanis seu Cluma-
nis, Istrijs, Carintijs, Stirijs, Carnis siue Carsis,
Carniolanis, & Foroiuliensibus longe acceptißi-
mum principem, gratißimum regem, ac charißi-
mum monarcham esse. Multò tamen te Deo, hisq;
omnibus chariorem fore certo existimato, si ut cœ-
pisti imo ab ineunte ætate assueuisti in hac exem-
plari tua pietate, domi & foris ad extrema uitæ
tuæ constanter perseueraueris, atq; bonos tibiq;
omni genere constantis fidelitatis obstrinctißi-
mos famulos, gladio diuinitus tibi commisso prote-* Rom. 13.
*xeris, & ab iniuria prauorum hominum regali
brachio tuo uindicaueris, eosq; honore debito di-* Exodi 41.
gnatus

*gnatus fueris: Malos autem & decretis altißimi
temere reluctantes ob manifestum exemplum alio-
rum decenti pœna affeceris. Nam. Bonis nocet,* Mimus Publianus.
quisquis pepercerit malis. Et nulla prorsus uti- Æschines.
*litas politiæ est, quæ non habet neruos aduersus
iniuste domi agentes, ac externos hostes dulci pa-
triæ inhiantes. Habes ad hæc omnia iuridice
exæquenda ingentes has animi, corporis & fortu-
næ diuinas dotes, uidelicet, cognitionem necessa-
riarum linguarum fere Mithridaticam, memori-* Valerius Maximus
am Cyricam, eruditionem C. Iulij Cœsaris, elo- Lib. 8.
*quentiam Demostenicam & Ciceronianam, Pe-
ritiam iuris ciuilis Iustinianam, Experientiam
Statutorum ac aliarum legum uniuersi regni tui
profecto admirabilem, Sapientiam ferme Salomo-
nicam. Quæ est melior opibus preciosißimis, &* Prouerb. 8.
omne desiderabile ei non potest comparari. Quia Eccle. 27.
*homo sensatus in sapientia permanet ut Sol. Præ-
terea in corpore Herculeo fortitudinem pene
Samsonicam, prosperam scientiam rei militaris
Alexandricam, sanitatem corporis Nestoream.
Diuitias autem Crœsi, ab oriente enim à mari*

C *Pontico*

Pontico monarchia tua inchoatur, & ad occidentem in Baltico terminatur, iam non nomino ad eam pertinens, amplißimum dominium maris, & per uniuersum orbem terrarum celeberrimos portus. Thesauros Midæ ac opulentiam Persicam, tua enim hæc prædicta monarchia, aliquantum auri, copiam uero ingentem, si circumspectæ fodinæ administrarentur argenti, ceræ, cupri, salis, ferri, ac aliarum minerarum, carnium tam domesticarum quam ferinarum, piscium uariorum, & omnis generis frumentorum, fructuum, mercium:que syluestrium producit, intratasque ac prouentus amplißimos præbet. Si autem inclytißimi ducatus hæreditarij Transyluanici tui, naturalis munitionis, & alias plurimas dotes ordine recensere, earumque uberrimas opes singillatim enumerare deberem, tempus me omnino deficeret, Habes quoque potentiam militarem, olim florentis Romæ, orbis terrarum dominæ, in uniuersa enim nominata monarchia tua, ducenta millia peditum, ac totidem fortium animosorumque equitum: in Transyluania uero, centum milia strenuorum equitum

Iacobus Prisius in statutis Poloniæ pagi. 684. Sebastianus Munsterus in Cosmographia pag. 1040.

equitum, absque ullo stipendio statim colligere, ac præsto habere poteris. Vt uere illam ex benedictione Domini (quæ facit diuites citra molestiam) dignitatem assecutus es. De qua ita Salomon inquit. In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Regis uero tribunal iustitia firmatur, & thronus maiestatis eius, æquitate conseruatur. Rex enim iustus eriget terram. Illumque misericordia & ueritas custodiunt. Prætereo, mercenarium expeditißimum militem, & aulam tuam robustißimam, taceo de Tauricano Scythico regulo, qui ad tuum imperium cum ingenti exercitu, uelocißime tibi adesse solet. Profecto hoc numerosißimo, ac fortißimo concordique exercitu tuo, non solum (iuuante Deo) regni tui diuinitus tibi concrediti, seditiosos & periuros quosuis rebelles, ac iniquos perduelles facilime refrenare, Sed quoque externos qualesuis hostes, etiā in diuersis locis, optimo exemplo Matthiæ Coruini Huniadis, comitis Bistricensis, ac Hungariæ Regis, uno tempore uincere, imo & uniuer-

Prouer. 10. Prouer. 14. Ibidem 16. & 25. Ibidem 29. Ibidem 20. Vide Antonium Bonfinium.

uniuersum orbem terrarum more Alexandri Ma-
gni citissime superare potueris. Si assiduo ad tuas
belli & pacis prædictas ingentes uirtutes, in ti-
Prouer. I. more altissimi qui est initium sapientiæ, oculatus
& prouidens fueris? Siquidem prouidentia, est
fidelis inuentrix ac cõseruatrix omnium fœlicium
Genes. 29. successuum. Credulitas uero plurimis detestan-
dam & irrecuperabilem cladem attulit, Et non
est sapientis dicere non putaram. Ad hæc
omnia, regio antiquissimo atq; serenissimo sanguine
tanquam limpidissimo omnium præcipuarum uirtu-
tum fonte, legitimam originem ducis (quam Deo
adiuuante breui methodice descripturus sum) in
hocq; sacro regno Poloniæ pientissimos antecesso-
res, eosdemq; propinquos affines tuos iuste subse-
cutus, indissolubiliq; eiusdem affinitatis necessi-
tudine, christiani orbis maximis imperatoribus,
inuictissimis Cæsaribus, potentissimis Regibus,
serenissimis electoribus, archi & magnis duci-
bus, illustrissimis Principibus, ac ducibus deuin-
ctus, atq; excelsæ maiestatis diademate fere per
uniuersum orbem terrarum resplendens, in subli-

mi regali throno cœlitus cõstitutus es. Quamob-
rem omniũ hominum oculi, in tam clarissima eminẽ-
tissimaq; luce in te coniciuntur, & quid singulis
momentis temporum agas diligentissime inquiri-
tur, quomodoq; priuatim ac publice uiuas, & te in
omnibus actionibus exhibeas, facilime à quouis in
tam illustri claritate cernitur. Nam qui impij
principes fuerint, hi non solum sibi ipsis atrociter
obfuturi & exitialiter nocituri. Iuxta illud. Iuuenalis.
Ad generum Cereris sine cede & uulnere pau-
ci descendunt reges, & sicca morte tyranni. Sed
etiam (proh dolor) simplices ac innocentes subdi-
tos suos, miserabiliter præcipitaturi, atq; turpis-
sime pessundaturi sunt. Siquidem plurimum pesti-
feræ infectionis ac exitialis contagionis in prauis
exemplis eorum sit. Talis enim ciuitas esse solet
(inquit Diuinus Plato) quales principum mores Diuinus
fuerint. Idcirco etiam fit, ut plebs plerunq; plecti Plato.
soleat, atq; pro illorum malefactis Deo irato pœ-
nas luat. Vt manifestum & horrendum inter alia 2. & 4. Regũ ultimo.
multa exemplum, in Dauide & Sedechia He- 1. Paral. 21.
bræorum, Balthasare Babiloniæ, Pharaone Ieremiæ 38. & 39.

Exodi 8. 9. 10. & 14. Danielis 4. 1. Reg. 15. Carion pag. 105. 106. 112. 122.

Aegypti, Paride Troiæ regibus uidere licet. Porro hi quoq;, nempe, Nabuchodonosor Babiloniæ, Saul Hebræorum, Caius Caligula Domicius Nero, Sergius Galba, Vitellius, Antonius Baßianus Caracalla, Varius Heliogabalus, Iulianus Apostata Romanorum, Demetrius Macedoniæ, Petrus, & Aba Hungariæ, Pompilius Poloniæ, & Phalaris Agrigentinorum execrabiles reges, etiam sibi ipsis extremum exitium peperere.

Chronica Hungariæ et Poloniæ.

In summa, impietate prauorum principum fieri, ut ima summis turpißime commisceantur, sacra prophanis impie confundantur, omnia flagitiosis seditionibus, sceleratis factionibus, nefandis perduellionibus, deplorandis rebellionibus, pernitiosisq; bellis ferueant, ac florentißima regna, & quæuis potentißimæ monarchiæ, extremam cladem, & detestandum omninoq; commiserandum, interitum subito patiantur. Tales spurcißimos principes Homerus δημοβόρυς, id est, innocentis populi deuoratores non immerito appellat.

Homerus.

Contra uero pietate ac optimo sanctorum Principum exemplo. Boni salutaris uirtutis

uirtutis

uirtutis amore, in suis diuinitus aßignatis uocationibus, libentißime retinentur, ac in honestis officijs pulcherrime confirmantur. Mali uero, & proterue in extremum totius dulcißimæ patriæ interitum, salutari uoluntati pij principis (cuius cor in manu Dei est) refragantes, sanoq; consilio eius temere reluctantes, formidine ingentis tamen iustæ pœnæ, à scelerosis omnis generis uitijs abstinent, coercentur, ac tandem mirifice in dies emendantur.

Prouer. 21.

Iuxta illud Horatij. Oderunt peccare boni uirtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Horatius

Atq; ita pio rege duce, omnes diuinæ maiestati acceptißimi, legitimoq; magistratui suo, in optima conscientia obedientißimi, & gratißimi efficiuntur. Tamque sancta hæc, diuinitus ex singulari misericordia concessa potestas, quam tales pij subditi, in huiuscemodi concordibus monarchijs, & benedictis regnis, in suauißima pace beata uita aßiduo fruuntur, externisq; hostibus maximæ formidini sunt.

Quemadmodum istiusmodi hi Diui Principes extitere. Moyses, Samuel, David, Iosaphat,

Exodi 17. Num. 14. 1. Reg. 12. 2. Reg. 6.

Ezechias

2. Para. 17.
4. Reg. 18.

Ezechias Hebræorũ, Octauius Augustus, Flauius Vespasianus, Titus Vespasianides, Traianus, Elius Adrianus, Antonius Pius, Marcus Antonius Philosophus, Seuerus, Titus Detius, Flauius Claudius, Probus, Carus, Diocletianus, Iouinianus, Constantinus Magnus, Theodosius senior, & Iustinianus legumlator, Romanorũ Cæsares. Istiq; tui sacri antecessores, paulo superius nominatus Battor maximus tritauus paternus tuus ac Pannoniæ, Vladislaus Iagello, Casimirus 3. filius eius, Sigismundus I. nepos, Sigismundus Augustus pronepos Poloniæ, ac duo Vladislai & Lodouicus etiam Iagellonides Hungariæ monarchæ laudatissimi, atq; tui propinqui affines desideratissimi. Ideoq; tales Principes Dij, ac filij altissimi in sacris literis uocantur, hoc est, quòd diuino officio fungantur, legemq; altissimi diligentissime exerceant, pacem assiduo custodiant, atq; iustitiam absq; ulla mora exæquantur. Non est enim rex pientissime cadentis alium erigere, neq; ignorantis docere, nec inquieti pacem constituere, neq; iniusti iustitiam administrare, nec dis-

De Cæsaribus reuidendus est Gasrion. Inter cæteros autores.

Ecclesi. Hist. Lib. 2. & 9. cap. 30.

Psalmo 81.

Vide Plutarchum in ducem imperitum. Aristotelem Lib. 3. Politicorum. Platonẽ Lib. 6. de legibus

soluti

soluti & erronei ordinare, neq; mali aliquid boni efficere, multo minus salutari exemplo esse, nec imperare eius, qui animi & corporis perturbationes ac prauos affectus, rationis suæ imperio subicere non sciuerit neq; ualuerit. Idcirco sacræ literæ testantur. Meliorem esse sapientiam uiribus, & uirum prudentem quam fortem. Eædem docent. Regem insipientem misere perdere innocentem populum. Sapientem contra esse firmissimum stabilimentum eiusdem. Cum hac enim sapientia sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ ac iustitia, Melior est enim fructus eius auro & lapide præcioso, & genimina illius argento electo. Sed hæc ac his similia ex sacrarum & grauium profanarum literarum quotidiana diligenti lectione (iuxta illud graue diuinum decretum. Postquam autem sederis in solio regni tui, describes tibi Decalogum ac iudicia Domini, & habebis secum, legesq; omnibus diebus uitæ tuæ, ut discas timere Dominum Deum, & custodire uerba ac ce-

Senecam lib. 2. de ira.

Sapien. 6. Prou. 8.

Prouer. 8.

Deuter. 17. Iosue 1.

D remonias

remonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor tuum in superbiam super fratres tuos, neq; declinet in partem dextram uel sinistram, ut longo tempore regnes tu ipse, & filij tui in Polonia) perfectius intellexisti atq; longe melius perdidicisti. Sustines apud cunctas prædictas bellicosissimas Slauonicas nationes tuas, maximarum pacis & belli uirtutum, atq; immortalium heroicorum facinorum expectationem, cui (quod Deus auertat) non respondere, & tibi ipsi in tanta omnium rerum abundantia defore, non solum tibi soli, ac tuis charissimis consanguineis, ac dilectissimis affinibus, turpissimo æuiternoq; dedecori esset, sed etiam nobis omnibus fidelissimis subditis tuis, & loco dilectissimi parentis te colentibus, extremo execrandoq; exitio foret. Huic autem te ita satisfacturum certo confidas. Si tuam hactenus laudabili exemplo illustrissimam pietatem, uti ab ineunte ætate consueuisti, assiduo continuaueris. Inquirentes enim Do-

Psal. 33. minum (ait Dauid Rex) non destituentur

ullo

ullo bono. Interim ad Iehouam assiduas orationes meas continuabo, ut te Patrem Patriæ, simul cum longe pientissima regina, omnibusq; ijs, in hac sacra genealogia comprehensis dilectissimis, ac sancta mutua concordia dignissimis affinibus tuis, atq; cuncto sacrorum regnorum tuorum, fidelissimo senatorio ac equestri ordine, cæterisq; statibus, ob singularem utilitatem Ecclesiæ dilectæ suæ, ac peculiare emolumentum inclytissimarum Rerumpublicarum, uniuersarumque prædictarum Slauicarum nationum tuarum, imo totius grati Christiani orbis, fœlicissimis uictorijs perpetuo triumphantem, ex faustissimoque dominiorum incremento assiduo gaudentem, in annos Nestoreos usque diligenter conseruare, & ab omnibus aduersis rebus, nociuisq; & S. iustitiam impedientibus casibus, intestinis odijs, ciuilibus bellis, priuatis commodis, prauis iuuenilibus consilijs, & simulatis amicis, qui te iuxta illud Esaiæ, Labijs fictis honorarent, cor autem peruersum eorum longe a te

Esaiæ 29. Matth. 15. Marci 7.

D 2 esset,

esset, imo perniciem tibi moliretur semper custodire, ac ubiq; clementi diuino patrocinio suo, ab omnibus hostibus protegere, ex immensa misericordia sua dignetur. Præterea me quoq; ipsissimum benignissimo Deo, ac clementissimæ regali tuæ gratiæ, iterum atq; iterum quam diligentissime commendo, in qua ut diutissime fœlix persistere queam, eundem altissimum, & te monarcham longe optimum subiectissime peto, atq; humilime oro. Nam si diuina maiestate disponente ac promouente, liberale subsidium tuum, in hisce honestis sudoribus meis expertus fuero, atq; musæum castissimis Camænis idoneum, copiamq; necessariorum librorum, tua sacra & ad hoc principaliter diuinitus instituta munificentia, assequi potuero, tum subministrante salutem ac præsidium eadem diuina maiestate, non solũ paulo superius nominatã uetustissimam, hancq; serenissimã regalem genealogiam tuam, libellosq; superius enumeratos diligenter promulgabo. Sed etiam multo ijs grauiora, Ecclesiæ Christi utiliora, ac tibi Rex serenissime, tuisq; florentissimis Rebuspublicis magis commoda, constanti & indefesso animo aggredi omnino studebo. Datum in exili prædiolo meo Quiatkouo. 12. Februarij, Anno Domini 1577.

Sacræ Regiæ Maiestatis uestræ

Quoad spirauerit humilimus subditus,
obsequentissimus semper famulus, ubiq;
fidelis cliens, atq; perpetuus seruitor

Idem qui supra

Martinus Quiatkouius de Rozice,
olim Diui Sigismundi Augusti regis
Poloniæ, & iam optimi ac innocentissimi principis in Prussia, minimus
priuilegiatus seruitor.

Ioannis I.

Agne Dei qui tollis peccata mundi,
miserere afflicti Quiatkouij.



Tribueq; ei successum, & orna illum sapientia.

16

EMENDA.

In pagina A 3. uersu 8. lege pro Munsterus Muncerus.

REGIOMONTI BORVSsiæ in officina Georgij
Osterbergeri.